

Francisci Scauri hendecasyllabum.

Quas incerta temporum priorum
Et cladam fera grando bellicarum
Mancas difficiles inexplicatas
Plini fecit epistolas Secundi,
Integras faciles & absolutas
Emittit Cataneus ille noster,
Nulli rhetorica Secundus arte,
Linguas funditus eruditus ambas,
Et nostræ decus vrbis, inuidendus
Vt multis, ita nemini emulandus.

Iacobi Eustathii Catanæi.

Non cassi Catanæe sunt labores,
Quos non percipit auribus supinis
Vanus lector, & inuidus reprehendit,
Osor carpit, & obterit malignus,
Quos cantat bonus, ornat, osculatur,
Vt claros maris Indici lapillos,
Iam iam sunt aliquid tui labores.

Bernardi Aemilii Merulæ.

Dignum gymnasiis esse latinis,
Doctorumq; manu semper habendum
(Nostri pro pudor, & dedecus ingens)
Antehac Cæcilium nemo recepit.
At tollunt scellus hoc ecce labores,
Facundi, faciles, atq; decori,
Docti, magnifici: quos Cataneus
Armatus latia, & cuspide graia,
Natę sustinuit solis ad horas.
Securi auspiciis pergite dextris.
Nam vos docta manus sæpe reuoluet.
Discet Cæcilio dedita pubes.
Quem si non capiunt Arcados aures,
Nil mirum, citharam nescit asellus.

Ioannis Iacobi Scaptii.

Quid non improba temporum experitur
Vis, quæq; optima perditura? Rursus
Quid non ingenii audet, & facit vis
Reddens interitura multa vitæ?
Nam de quot peperit sibi, superstes
Hic duntaxat erat liber diserto
Caio Cæcilio meo Secundo,
Vix totus: periturus eque & idem,
Ni doctus Cataneus ille doctus
Multa iam pereunti ope adfuisset.
Quare iam tibi desinant eburnum
Mirari veteres Pelops, poetę
Membrum numinis additum potentis
Vi, quando Cataneus ore totum
Sic ex Hippolyto prius soluto,
Spectandum mihi Virbium refecit.

Iouitæ Rapicii.

Sunt igitur nobis diuinę semina mentis,
Et tegit humani pectoris vmbra deum.
Quis neget: ecce hoies faciunt, prescripta potestas

Quod nequit, & fines transiluire suos
Cæcilium traxit stygiis Cataneus ab vndis
Sit licet e duro clausa adamante via.
Sit licet elapsum nunq; reuocabile tempus,
Huc tamen elapsos contulit ille dies.
Historias veterum, ritusq; modosq; loquendi,
Quos sua vix norant tempora nostra legunt,
Nam cuius clara est breuitas matura Secundi,
Et patet argute pagina docta manus.
Fœlix, arcanos licitum cui promere sensus:
Fœlix, cui curæ contrigit esse tuę.
Fœlices ambo ventura in secula famam.
Mittite, & ex æquo nomen vterq; ferat.

Ioannis Mariæ Catanæi Bōbardę descriptio.

Quid non audebunt mortalia pectora? quando
Fulmina, terribiles tonitrus imitantur & ignes?
Namq; reperta fero muralis machina bello,
Seu Meroe solers, fortis seu Rheticus omnes
Ingenii vires effudit cum tonat, ignem
Fulmineum montis speculatus vertice ab alto
Excudit trunco teretem, medioq; cauatam
Magna parte sui: totamq; ex ere coactam,
Spheraq; de ferro penitus caua viscera complet,
Siue super curru vehitur, seu celsa tuetur
Castra loco, infuso nitrato puluere rimam
Per tenuem focus exurgit, mox impete vasto
Excuritur magno sonitu, magnoq; tremore
Ferreæ massa volans: quanto per inane tumultu
Scinduntur nubes, cum Iupiter igneus alta
Parte tonat cæli, reboatq; fragoribus æther.
Fumeus horrificis, non dura repagula contra
Non solide tures, non moenia lata, nec agger
Ferre valet, quocunq; ruit, concussa rescindit
Oppida, prosternitq; solo tabulata, trabesq;
Cardinibusq; fores firmis: pontesq; resoluit,
Et commota tremat ventorum turbine tellus.
Vno etiam totas deiecit vulnere pugnas
Multiplici confuta modo lorica, nec ensis.
Lancea, nec clypeus, nec thorax profuit æneus:
Omnia conuoluit, peditesq; equitesq; ferosq;
Membraq; corporibus diuulsa per aera iactat.
Quod si olim tali auxilio Titania pubes
Cælum aggressa foret, non se illi impune tulisset
Obuius aut Mauors, aut Euan tigride vectus,
Cessissetq; polo diuum pater atq; hominum rex.
Desuetus bello est aries, ballistaq; saxum
Effūdens, tremebūdo extincta phalarica fumo est.
Abstulit hæc tormenta noua virtute Boarda,
Siue placet Bombarda magis, q; dicta boatu
Seu bombo procul existens mo talia corda
Territat horrendo strepitu, longoq; fragore.
Num satis illud erat quod vibrat ab æthere telum
Iupiter? excindi tanto nisi fulmine terras?
Tanq; nulla forent nostræ compendia vitę.



Miseram iam pridem cōmentarios in eas Plinii Cęcilii epistolās, quę forte tunc impressę circūferebantur. Ceterum cum postea Romā venissem, ac cum Dominico Mamiliāno viro in libris antiquę lectionis perquirendis diligentissimo beneuolentiā contraxissem, descriptas mihi de vetustissimo codice germanico plures ad Traianum, & insuper quasdam eiusdem Plinii ad amicos epistolās legendas obtulit, quę de libro octauo exciderant: is autem peruerso tunc ordine nonus imprimebatur, vbi nos etiam tum coniectura fueramus affecuti ipsas interceptas fuisse: quapropter lectorem eo loco istud clare admonueramus. Itaque ne illę amplius tanq̃ corpus mancum oberraret, & inuētas pariter interpretandas, & loco suo omnes imprimēdas studuimus: additis præterea, & immutatis quibusdā in superioribus commentariis, quę necessaria, aut meliora videbātur: in quo perficiēdo adiutoribus vsi sumus viris doctissimis Thoma Phœdro, Baptista Pio, & Andrea Alciato: quibus eo magis debemus, quod in huiusmodi officio nobis alacriter, & præsto affuere: quodq̃ pleriq̃ alii præstantes doctrina viri, quos suppliciter rogaueramus, operam suā aperte vel non præstiterunt, vel differendo subterfugerunt. Accessit ad curam nostram earundem epistolarum antiquissimi codicis Pontificii, qui cum libris quinq̃ Cornelii Taciti nuper inuentis coniunctus fuerat, per Philippum Beroaldū Iuniorē elegantis doctrinę virum inspiciendi facultas: quibus omnibus effectū est, vt in præsentia clariore, & emendatiore q̃ vnquam antea in lucem veniant. Ab ipsis enim si doctus aliquis eas conferat cum iis, quę Venetiis impressę minutioribus literis fuerunt, supra ducentas maculas (vt arbitror) absterfas deprendet: vt vnā ex omnibus manifestissimā referamus ex epistola tertia, libri decimi duas effectas, cum eas supina correctoris ignorantia in vnā cōgessisset. Verūenimvero non satis est recuperare venerandę vetustatis exemplaria, nisi etiā simul adsit acre emendatoris iudiciū: quoniā & veteres librarii in voluminibus describēdis sæpissime falsi sunt, & Plinius ipse scripta sua se viuo deprauari in quadā epistola demonstrauerit. Illud vero omnino risu prosequendū, quendā testari ausum suum epistolarū Plinii volumen esse adeo diuersorum a nostro seculo characterū, vt ob hanc causam autumat eas Secundo adhuc viuentē scriptas fuisse: non dissimile fere mendaciū, ac si dicerem ego, germanicum earundē epistolarū codicem peruetustum ante natalem Cęcilii in lucem exiisse. Quis enim adeo est antiquorum characterum ignarus, qui nesciat ante centū ab hinc annos totiēns immutatam scribendi formā? & eodē seculo aliā ab aliā plerūq̃ diuersissimā propter variā hominum ingenia, & tot iam pridē per Europam, Vandalos, Gothos, Ostrogotos, Longobardos, Saracenos, & id genus plurimos, qui sinceram literarum formam vastauere. Antiquam ego puto illam florentis Italię, quę etiam nunc in vetustis marmoribus, & cæreis tabulis reperitur. Quod si hæc lectu facilis, illa vero difficilis: necesse sit, vt vna cum barbaris Italiā inuadentibus, ipsa quoq̃ imperum in bonos characteres fecerit. Vt igitur hæc lucubrationes, quantum pro virili nostra fieri licebit, vndecunq̃ exeant emendatissime: quoniā ipsas prius Iafredo Caroli, tunc Mediolorani præsidem agenti dedicaueramus: quodq̃ postea ipsum longe alium q̃ tunc putabamus, & de eo scripseramus, experti sumus, visum est pariter huic parti opem ferre, ne quod nunc multis constat, id imprudēter vel scienter, præterisse argueremur: male sanūq̃ caput bene curato corpori superimpositum vagari sine nota pateremur. Erat primo in Iafredo dum istuc præsideret, ita tectū, & subdolum ingenium: tam caute, saluis tamen facinorum suorum ministris, vitia sua premebat, vt a multis summus studiorum fautor crederetur, cum doctos frequenter apud se in coena haberet, quosdam etiam aucto stipendio vnice foueret, & quoties illi a publicis negotiis vacatio daretur, cum ipsis nonnunq̃ de literis sermonem habere: ac quis humili loco, & fortuna natus, quibusdam tamen veluti prestigiis non difficulter generis sui obscuritatem eleuare: cumq̃ professionis ipsius titulus foret ius ciuile, id tamen insignius illustrare, quod humanarum literarum studium amplecti simularet, vetustosq̃ libros hinc atq̃ inde compilaret: quibus omnibus & doctus, & liberalis haberi gestiebat. Et q̃q̃ mihi iā ex illo quadam suspecta forent: tū quod ipsum glorię cupidum arbitrabar: operæ precium me facturū cre-

didici plurimas in eundem laudes congestissem, & eas praesertim, quae potestatibus adesse deberet, ut forsitan hac nostra laudatione incitatus virtutes boni Praefidis vere amplecteretur. Sed cum postmodum ipsis aperte conculat in alia omnia proruperit, quaeque in eo apparebant probitatum simulacra in contrarium versa pessum dederit, & haec plerique omnes, qui hominem postremo nouerunt intelligant, quid est cur & praesentibus, & posteris me tamquam mendacem derelinquam? cumque mea omnia quae sciam, in Plinium errata emendare instituerim, & fecisse videar: relinquamne hunc reliquum scrupulum ita impudenter intactum? & approbata statua damnatum caput non reiciam? eiusque loco sanius aliud non substituam? Quod cum per gentem Latinam vndique circumspecto, tu solus, quem multis experimentis iam pridem optimum virum introspecti, dignus in hac nostra retractatione occurristi, cui & priores, & recentes in Plinium vigilas illo penitus expuncto dedicarem: quod nouerim te excellenti doctrina, & bonarum literarum studio, morumque probitate, & elegantia, & rara nostro seculo liberalitate grataque in rebus gerendis dexteritate, facilitateque, sed in primis recto animi iudicio pollere. ut quod in te virtus & fortuna contulerit: id totum ad iuuandum genus humanum dispenses, speremque hac noua dedicatione maiore, cum laude studia nostra in manibus doctorum versari: verissimeque ab omnibus dici meas lucubrationes emendatas, statueque nostrae laude congruum caput impositum fuisse. Romae Idibus Martii. M. D. XVIII.

CLARISSIMO PRAESIDI GRATIANOPOLIS, AC MEDIO-
LANI IAFREDO CAROLO, IURIS CIVILIS, ET
PONTIFICII PRUDENTISSIMO IOANNES MA-
RIA CATANAEVS FELICITATEM.



Interpretandi munus, apud veteres utile probatumque, nunc difficillimum & necessarium eruditorum nemo dubitat: cum multa ex historiis & praeceptorum moribus interciderint, dicendarumque causarum ritus, & habendi Senatus, denique fere omnia nunc immutata, quae difficulter ab authoribus colligi possint. Ad haec tot deprauationes, quas bonae literae passae sunt, scriptorum nullum magis solutae orationis, huiusmodi calamitas inuasit: quae difficilius animaduertitur, & tollitur. Nam carminis menda metri ratione facilius deprehenditur & restituitur. A prosa vero & dictiones, & totae clausulae saepius deciderunt: quas in integrum reficere, nisi alicuius fidei exemplaris testimonium subueniat, nec ipsi qui peperere, si ad vitam rediret consequerentur. Nos autem peculiare quaedam in hoc opere difficultates circumsteterunt. Nam primum elaborandum fuit, ut multa cum impressis vetusta exemplaria conferremus, quibus Plinium Ciceronem supra ceteros scriptores deprauatum ex Hippolyto, si fieri posset, Virgilium faceremus. Tot errores, & in latinis & graecis curandi fuerunt: plura insuper de legibus discutienda veniebant iam abrogata & desueta, quae vix a prudentibus discerni poterant. Nec ille mediocris scrupulus nos offendebat Nerue, Traianique Caesarum res, quae sepius explicandae occurrebant, iam fere conelamatae: nam compendia quae supersunt, non singula, sed summam illustrium rerum vix denotant. Praeterea stylus pressior, & emunctior, qui lectori multa per se excogitata relinquit: ita frequenter acuti sensus enodandi sunt. Quare factum crediderim, ut superiorum nemo hoc opus quousque maxime desideratum attigerit: praesertim cum nondum ab alio preoccupatis authorum marginibus, unicuique liberum esset deligere, quaecumque interpretari placuisset, sed posteris difficillimos expoliendos reliquerit: Scyllas scilicet & Gorgonas nobis domandas. Nauigarunt illi per aperta pelagi, nos scopulis & fretis commiserunt. Itaque nonnulli paruo labore illustrati sunt. Fit enim plerique, ut multorum nomina ipsa temporum felicitas, & occasio a tenebris educat: at quosdam meritos laudum fortunae malignitas opprimat: ingentesque vigilas minima comiteretur gloria. Neque tamen ideo magnum aliquid fecisse credimus, sed cum Plinianas epistolas adolescentes admodum legeremus, mirumque in modum earum venustate ac lepore caperemur, postmodum utilitate publica ducti existimauimus operam nostram non perdituros, si ab omnibus prouinciam desperatam, vberissimos tamen fructus subactam reddituram, primi aggredieremur, & emendando, & interpretando: non ut plerique, qui a pra-

ceptoribus suis, quæ exceperunt vel doctoribus elaborata surripuerunt, ea sibi vendicantes pro suis publicant: sed hæc qualiacumque sunt, studio nostro lucubrauimus, sublati innumeri erroribus, præter vnum aut alterum, quos sine fide veteris exemplaris velle reponere fuisset temerare non emendare: & restitutos, si ubique enumerauissemus, legentibus fastidium, nobisque iactantiae notam contraxissemus. In quibusdam vero visus sum mihi non sine suspitione mendæ, quasi per sentes & inculta aratrum trahere: quæ ita excoluimus, ut suspensa manu stylum duceremus. Neque annotationes quasdam hinc inde tantum decerpimus, reliqua dissimulantes: sed vberime singula videmur attigisse, aut saltem tentauimus, multis enim non paucis consulebamus: ut credatur, si alius tantundem laboris in Plinium contulerit, nihil postea lectorem desideraturum. Quod impossibile sit omnibus satisfacere: nam qui sibi doctiores videbuntur, nos interdum tanquam nimios arguent: alii fortasse in quibusdam parcos fuisse dicent. Et si non desperamus alia alios detentura. Sunt enim quædam in nostris non vulgaria, multa mediocria, plura notissima: quæ singula stylo humili, ac sermoni proximo referre consulto studuimus. Nam qui eloqui in commentariis querunt, hi mihi videntur in alieno foro litigare, cum sepius utendum verbis de medio petitis: & ea data lex interpreti sit, ne indigeat interprete. Quod si in hac prius inaccessa prouincia, aliquod minus domitum, quam ut eruditi iudicauerint, occurrerit, ipsi opem ferant: quicquid enim ad utilitatem omnium insuper publicabitur, modo non fiat detrahendi studio, id nos plurimum iuuabit. Neque enim ii sumus qui omnia sciamus, neque aliis bonum quo nos caremus, inuideamus, etiam si alius insurgat, quia viderit a nobis, primum aspera complanata, manca restituta, vberiores in Plinium commentarios transcripturus. Agat quomodo lubet, & qualibet appendice legentium utilitati consulat. Admoneantur tamen studiosi, in quo huius operis lectione profecerint, id nobis imprimis debendum. Præterea addidimus rerum, ac verborum electorum indicem, ut (quod plerumque fit) eadem annotatio pluribus locis satisfaceret, & quasi digito monstraretur. Ad hæc fortasse quidam in laboribus nostris requirunt sibi, & librorum numerum, & caput authorum, quos pro commodo nostro citamus, representari. Alii tamen modum improbabunt, tanquam neque ad ornatum facientem, neque nobis usquequaque concessum. Quare nescio quod temperamentum studuimus obseruare, ut interdum proprium locum monstraremus: sepius vero contenti, authorem tantum nominasse. Quod si curiosus aliquis vltiora requireret, inquirendo experiatur, an cum fide testes produxerim. Et tamen in hac nostra diligentia non deerunt inuidi, qui longas & intensas vigilias, vel antequam viderint rabido morfu feriatur, carpant, siue insito obiurgandi ingenio, siue dum sic putant se alicuius nominis apud inuaditos esse, ut consueuere, qui vix primas literas egressi statim sapiunt arrogantes, & tumidi, nihil præter caninam rabiem secum ferentes: quod præstare nequeunt, maledicendo reprehendunt. Hos tamen facile contemnimus, non enim ab ingratis, gratia requirenda est. Et maledicum legimus bonorum coetu a primo statim limine repellendum. Est aliud hominum genus, qui cum possint studia sua proferre, nec faciant malignitate conciti, summa in alienis scriptis ingeniosi, si vnum aliquid minus bene dictum deprehendunt, omnia damnant, aucupio tali famam sibi aucupantes. Hi ut aliquando reprimantur propter eorum iam apud multos auctoritatem, confugiendum duximus ad præsidium amplitudinis tuæ, qui non minus eloquentiæ, quam iustitiæ Præses, omnes bene literatos, quorum in hac vrbe numerus, sano iudicio in sententiam tuam ducturus es. Ostende modo te velle: non deerunt, qui quod velis cupiant. Diligeris, coleris, frequentaris, nec immerito. Nam aliquid in studiis præstantes tueris, foues, ornas, ut sub te spiritum & sanguinem patriamque recipiant bonæ literæ. Ad hæc cum pari fere itinere tu, & Plinius ad summas virtutes, & dignitates perueneritis, iure dicandæ tibi fuerunt elucubrationes nostræ: nam vterque Senator optimus. Tu Iurisconsultus subtilis, & orator eloquens: ille summus dicendi artifex, nec iuris civilis inscius. Humanus liberalis iucundus vterque: nemini, nisi malis inuisus vterque: grauissimarum rerum iudex & moderator vterque. Ille amicis gratuitum patrocinium, tu plerumque vel inimicis operam tuam prestitisti, & quos fortunæ turbo prostrauerat releuasti: publica enim priuatis anteponis. Ille rebus honeste partis honestissime usus est: tu virtute tua comparatas pari prudentia dispensas, & quæ meruisti benemeritis erogas. Vterque sub felicissimis regibus per bonas artes ad summa prouectus. Illum Traiani felicitas clariorem reddidit, te Gallorum Regum benignitas, ad amplissimos magistratus extulit: & sub foelicissimo Rege

Carolo sublatam dignitatē tuam, sub Ludouico feliciore in maius auxit. Ille a pessimo Domitiano inchoatos honores sub Traiano optimo perfecit post Consulatu Bithyniæ & Ponti Præses: tu prouinciæ Narbonensis, & circupadanæ summa cū integritate summā cuiusq; ordinis hominum rationē seruās: hoc illo maior, quod diuersissimas terras velocissimī sideris more tu regis, ille proximas & cōiunctiores administrauit. Proinde aliis affectata virtus, tibi ingenita. Ita ceteris ignoscis, tanq̃ ipse quotidie pecces: ita peccatis abstines, tanq̃ nemini ignoscas. Nō castigas errātes, sed emēdas: abest superbia, asperitas: in quorū loco humanitas, comitas eminet. Male enim veneratio terrore acquiritur. Si adsunt amici, dulcissimi & honestissimi sermōes explicātur. Nā seueritatē iucūditate miscere, summęq; grauitatī tantū comitatis adiungere nō minus difficile, q̃ laudabile est, vt qui ex admiratione ingenii tui diligere te cepit, quod euenire cōtra solet, magis te admiretur, postq̃ penitus inspexit. Plinius doctos venerabatur. Tu vndiq; cōquiris, & inuētos stipēdis publicis, sacerdotiis honestissimis, de tuo muneraris, eruditorūq; cōspectu libētissime frueris. Scis enim esse verā felicitatē perpetuo cum sapiētibus versari, quod pertinacissime seruas. Nā peractis rebus maximis cū amplissimis Senatoribus, quod reliquū datur ocii inter tot occupationes, aut disputātes de disciplinis auscultas, aut ipse cū audientiū admiratione differis. Nā omnes, qui in aliqua literarum facultate excellūt, admittis humanissime. Sed & scriptorū veteres nō minori studio reparas, & a mortalitate tueris, cū tibi maximā librorū supellectilē cōparas. Errauī scio. Non enim tibi tantū, sed studiosis, quibus exēplariū tuorū spectatē in multis fidei copiā facis. In primis tamē veluti genium Plinianas epistolas veneraris, ita morū similitudine ferente: quę generis eius sunt, vt nisi ab acutissimo ingenio, vt a tuo, probari, & intelligi possint: quia huius authoris dictio sit elaborata, perpenſa, recisa: nō effluēs, nō redundās, verūtāte plena, eloquēs, in suo genere copiosa, & si multū ei temporū iniuria nocuerit, magis Atticorum sarem, & Romanam grauitatem, quam Asiaticam latitudinem effingens, neq; ad Lconicā breuitatē cōcidēs. Nā sicut M. Tullio in epistolis copia parataq; dicēdi facultas elucet: ita Plinio exculta, pēsitata, amputata: vtq; illius reliqua diuini eius ingenii opera maximam epistolis cōmendationē adferunt, sic Plinio tum rerum, tum verborum, & splendor, & dignitas, & ordo faciunt, vt quę nō extāt eius scripta summo cum desiderio requiramus: quę cum deponere cōstitueris, iterum resumes. Tot illecebris lectorē tenet, & afficit, vt cupidū vterio ra legēdi rerum nouitate & dispositione faciat, nolentēq; aculeis ducat: neq; breuitate officiat, sed magis lectorē teneat. M. Tulliū subinde satietas comitatur, vt iam legere paratum plerūq; nimia copia deterreat. Ille quē sensum intendit explicat optime, & nouitate sententiarū, ac rerū acuminē nō opprimit lassum, sed reparat. Pungit em̃ tanq̃ chia ficus, neq; aliquid absq; sale cōdit: quodq; in eo nō spernendū in hoc opere talia cōplexus, quę nostris temporibus ad imitationem apprime faciāt. Maior in illo grāditas, in hoc cura & diligentia parnitor. Summū vtriusq; acumen, & facetię nō inurbane. Cōmendādi ordo dispar. Nam Cicero multa, & fere eadē repetit, Plinius per diuersa, nihil tamē dicendū præterit. Acrius enim cōtendit: colligit astrictius. In hoc plus lacertorū, & curę: in illo plus carnis, & nature. Huic nihil demi, illi nihil adici potest. Qzq; propositū nostrum sit alterū laudādi, nō accusandī alterū, Cęcilianus stylus floridus, iucūdus, venustus, grauis, castigatus, tēporibus suis proprius, verbis parciōr, rebus plenior. Omnes sane numeros in epistolis absoluit, quas Septitiū horatatu recognitas in nouem libros digessisse Sidonius Apollinaris tradit: disciplinā, maturitatemq; in ipsis cōmendans: opus sane cōpositum, & abstersum, in quo mirifice affectus exprimuntur, Amat (ipsius enim verbis vtat) vt qui verissime dolet, vt qui impatientissime laudat, vt qui benignissime ludit, vt qui facetissime omnia deniq; tāq̃ singula absoluit. Habes hic clarissime Præses de publicis & priuatis rebus multa, de principatu nec minora, de Republica frequentiora, de munificentia, & ad bene viuēdum conducentia. Queris quomodo studeas immortalitatem virtutibus consequaris: hic vnus satis tibi faciet. Exornat virtutes, insectatur vitia: nō verbis turpibus, sed turpia honeste reprehendēs. Quām mira in describendis locis felicitas, in commendando humanitas: in explicando facilitas: denique nihil in illis est non ad exemplum pertinens. Sed dices, quid mihi cum tam longa præfatione: verum ita difficultas operis & inuidorum malignitas, tuęq; virtutes, ac Plinii stylus castigatissimus postulabat, vt quis multa dixerimus, longe tamen plura dicenda supersint. Mediolani Calend. Decembris. M. D. V.